

Ordo Missae Orthodoxo-Catholicae Occidentalis.

Sacerdos paratus quum ingreditur ad altare, factū illi debitā reverentiā (i.e. inclinatione) signat se signo Crucis, clarā voce dicens :

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Deinde junctis manibus ante pectus, incipit Antiphonam :

Sacerdos : Introibo ad altare Dei.

Populus : Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Postea Sacerdos et Populus alternatim dicit sequentem Psalmum 42.

*S. *Judica me Deus et discerne causam meam de gente non sanctā, ab homine iniquo et doloso erue me.*

P. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

P. Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in citharā Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

P. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus.

S. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto :

P. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. Introibo ad altare Dei :

P. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. (dum signat se signo Crucis, dicit) Adjutorium nostrum in nomine Domini:

P. Qui fecit cælum et terram.

Sacerdos deinde junctis manibus profunde inclinatus facit Confessionem sequentem :

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis Fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: (*Percutit sibi pectus ter, dicens :*) meā culpā, meā culpā, mea maximā culpā. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos Fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

* In Missis pro defunctis Psalmus "Judica" omittitur.

P. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducatur te ad vitam æternam.

S. Amen. Deinde e positione inclinatus se erigit.

Deinde Populus (profunde inclinatus) repetit Confessionem, sed loco vobis Fratres dicit tibi Pater, et loco vos Fratres dicit te Pater.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducatur vos ad vitam æternam.

P. Amen.

S. signat se signo Crucis, dicens : Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

P. Amen.

Versiculi et Responsoria sequentia a Sacerdote et Populo inclinatis dicuntur.

S. Deus tu conversus vivificabis nos.

P. Et plebs tua lætabitur in te.

S. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

P. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine exaudi orationem meam.

P. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

P. Et cum spiritu tuo.

Sacerdos manus extendens ac jungens clarā voce dicit :

Oremus ; et ascendens gradus altaris, dicit secreto :

Aufer a nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras: ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire.

Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde manibus junctis super altare inclinatus dicit :

Oramus te, Domine, per intercessionem Sanctorum tuorum (osculatur altare in medio) quorum reliquæ hîc sunt, et omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Hîc Altare incensatur. Deinde Sacerdos signans se signo Crucis, incipit Introitum.

INTROITUS.

Constat duobus versibus Scripturæ sacræ, qui cum tempore et festis mutantur, cum doxologiâ finali. Quo Introitu finito, junctis manibus, alternatim cum Populo dicit :

S. Kyrie eleison. P. Kyrie eleison. S. Kyrie eleison.

P. Christe eleison. S. Christe eleison. P. Christe eleison.

S. Kyrie eleison. P. Kyrie eleison. S. Kyrie eleison.

Deinde in medio altaris extendens et jungens manus, et caput aliquantulum inclinans, dicit :

Gloria in excelsis Deo, et in terrâ pax, hominibus beneplacitum. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex cœ-*

* "Gloria" in Missis pro defunctis et in Missis ferialibus omittitur.

lestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus; tu solus Dominus; tu solus Altissimus, Jesu Christe cum sancto Spiritu, in gloriâ Dei Patris. Amen.

Post "Gloria in excelsis" addatur in memoriam Unionis nostræ cum Ecclesiâ Orthodoxâ: Ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος Ἰσχυρὸς, ἅγιος Ἀθάνατος, Ἐλέησον ἡμᾶς. Bis linguâ Græcâ dicendum vel cantandum, et semel linguâ vernaculâ repetendum.

Sacerdos deinde osculatur altare in medio, et ad populum versus dicit: Dominus vobiscum.

P. Et cum spiritu tuo.

S. Oremus.* *Sequuntur Orationes, una aut plures, ut ordo officii postulat. Sunt autem Orationes variæ secundum tempora et festa.*

Sequitur Epistola ex ordine temporum.

In fine Epistolæ Populus dicit:

Deo gratias.

Deinde Graduale (constans e duobus aut tribus versibus Scripturæ sacræ) ex ordine temporum et festorum.

Post Graduale additur Tempore quadragesimali Tractus (constans e tribus aut quatuor versibus S. Scripturæ). In paucis autem maximis festis post Graduale Sequentia (hymnus quidam a Patre quodam antiquo compositus) recitatur.

His finitis, si est Missa sollemnis, Diaconus deponit librum Evangeliorum super medium altaris, et Sacerdos benedicit incensum. Deinde Diaconus genuflexus ante altare, manibus junctis dicit:

Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaïæ prophetæ calculo mundasti ignito: ita me tuâ gratiâ miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea accipit librum de altari, et rursus genuflexus petit benedictionem a Sacerdote dicens:

Jube Domine benedicere.

S. Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties Evangelium suum: In nomine Patris ✠ et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Acceptâ benedictionis Diaconus osculatur manum Sacerdotis. Deinde, incenso et luminaribus concomitantibus, Diaconus junctis manibus dicit: Dominus vobiscum.

P. Et cum spiritu tuo.

D. Sequentia (vel Initium) sancti Evangelii secundum N.

Dum pronuntiat hæc verba, signat se signo Crucis.

Dum Populus respondet:

Gloria tibi Domine,

Diaconus incensat ter Evangelium. Postea prosequitur Evangelium junctis manibus.

In fine Evangelii Populus dicit:

Laus tibi Christe.

Quo finito, Subdiaconus defert librum Sacerdoti, qui osculatur Evangelium dicens:

Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta.

Deinde Sacerdos incensatur a Diacono.

Tum Sacerdos in medio altaris extendens, elevans et jungens manus, dicit:

Credo* in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, filium Dei unigenitum; et ex Patre natum ante omnia sæcula; lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum; consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis. (Hic genuflectitur.) Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertiâ die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum et sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum, vivificantem, qui ex Patre procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. In unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum. Exspecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.

Deinde osculatur altare, et versus ad populum dicit:

S. Dominus vobiscum.

P. Et cum spiritu tuo.

S. Oremus.

Deinde dicit versiculum Offertorii ex ordine temporis aut festi.

Postea Sacerdos patenam cum Pane accipit, quem offerens dicit:

Suscipe sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentibus meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

Deinde faciens crucem cum eadem patend, deponit Hostiam super corporale. Postea Sacerdos infundit vinum in calicem, et aquam miscendam in calice bene ✠ dicit dicens:

Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

* "Credo" omittitur in Missis solemnitibus et pro defunctis.

† Quæ sequuntur secreto (μυστικῶς) a Sacerdote dicuntur.

* Orationes, Secretæ, et Postcommuniones unam solummodo doxologiam habent.

Postea Sacerdos accipit calicem et offert dicens :

Offerimus tibi, Domine, Calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ pro nostrâ et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Deinde facit signum Crucis cum calice, et illum ponit super corporale et pallâ cooperit: tum junctis manibus super altare, aliquantulum inclinatus dicit :

In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Sacerdos erectus expandit manus, easque in altum porrectas jungens, elevatis ad cælum oculis et statim demissis dicit :

Veni sanctificator omnipotens æternæ Deus: et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum.

Postea benedicit incensum, dicens :

Per intercessionem beati Michaelis Archangeli stantis a dextris altaris incensi et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oblata deinde incensans dicit :

Incensum istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Deinde incensat altare dicens (Psalm. 140) :

Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinet cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.

Dum reddit thuribulum Diacono, dicit :

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris et flammam æternæ caritatis. Amen.

Postea incensatur Sacerdos a Diacono, deinde alii per ordinem. Interim Sacerdos lavat manus, dicens (Psalm. 25) :

Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentiam meam ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.

Amen.

Deinde aliquantulum inclinatus in medio altaris, junctis manibus super eo dicit :

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri: et in honorem beatæ Mariæ semper Virginis, et beati Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Sacerdos, osculatus altare, ad populum versus, extendens et jungens manus, dicit :

Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

P. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque ecclesiæ suæ sanctæ.

S. Amen.

Deinde Sacerdos manibus extensis dicit Orationes Secretas ex ordine temporis aut festi.

S. (manibus super altare positis) Per omnia sæcula sæculorum.

P. Amen.

S. Dominus vobiscum.

P. Et cum spiritu tuo.

S. (manus elevans) Sursum corda.

P. Habemus ad Dominum.

S. (manus jungens ante pectus et caput inclinans) Gratias agamus Domino Deo nostro.

P. Dignum et justum est.

PRÆFATIO.

S. (manus disjunctas tenens) Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens; æternæ Deus, per Christum Dominum nostrum: per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates: cæli cælorumque Virtutes, ac beata Seraphim sociâ exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes (*manibus junctis et inclinatus dicit*):

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cæli et terra gloriâ tuâ.

Hosanna in excelsis.

(*Signans se signo Crucis*) Benedictus qui venit in nomine Domini.

Hosanna in excelsis.

CANON MISSÆ.*

Sacerdos extendens, elevans et jungens manus, elevans ad cælum oculos et statim demittens, profunde inclinatus ante altare, manibus super eo positis, dicit :

Te igitur, clementissime Pater per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus (*osculatur altare, deinde erectus et extensis manibus prosequitur*) uti accepta habeas et benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, in primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesiâ tuâ sanctâ Catholicâ: quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum: unâ cum famulis tuis Patriarchis nostris, Sanctis Synodis et Antistite nostro *N.* (*inse- re nomen Episcopi diœcesani*) et omnibus orthodoxis atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus.

Memento, Domine, Regis (Reginæ) nostri (nostræ) *N.*, Gubernii nostri atque famulorum famularumque tuarum *N. N.* (*jungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit: deinde manibus extensis prosequitur*) et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus: pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolunitatis suæ: tibi que reddunt vota sua æterno Deo, vivo et vero.

Communicantes et memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Thaddæi: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani: et omnium Sanctorum tuorum, quorum precibus concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. (*Jungit manus.*) Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata dicit :

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ quæsumus Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tuâ pace disponas, atque ab æternâ damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. (*Jungit manus.*) Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens (*Sacerdos clarâ voce dicit*):

S. Accipite et manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum.*

P. Amen.

S. Simili modo postquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens benedixit deditque discipulis suis, dicens: (*Sacerdos clarâ voce dicit*.)

S. Accipite, et bibite ex eo omnes: hic est enim Calix Sanguinis mei novi et æterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

P. Amen.

Sacerdos dicit secreta :

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Sacerdos, disjunctis manibus, dicit :

Unde et memores, Domine, nos servi tui sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui, Domini nostri tam beatæ passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis: offerimus præclaræ majestati tuæ tua de tuis.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ: et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Profunde inclinatus, junctis manibus, et super altare positus dicit :

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: mitte Spiritum Sanctum tuum super nos et super hæc tua dona oblata: (*signans ter sancta dona*) et fac Panem hunc pretiosum Corpus Christi tui.

Diaconus. Amen.

S. (*signans super calicem*) Et quod in hoc Calice est Vinum, pretiosum Sanguinem Christi tui.

D. Amen.

S. (*benedicens utrumque donum sanctum*) Transsubstantiando per Spiritum Sanctum tuum.

D. Amen, Amen, Amen.

Sacerdos genuflexus adorât, surgit et ad Populum versus consecratas species Populo adorandas ostendit.

Deinde ad altare reversus, erectus, et manibus disjunctis pergit.

Jube, omnipotens Deus, hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ: ut quotquot (*osculatur altare*) ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, (*seipsum signat*) omni benedictione cœlesti et gratiâ repleamur. (*Jungit manus.*) Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum *N.* et *N.* qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. (*Jungit manus, orat aliquantulum pro iis Defunctis, pro quibus orare intendit, deinde extensis manibus prosequitur.*) Ipsi, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indul-

* "Canon Missæ" secreta dicitur.

* Elevatio et Adoratio Hostiæ et Calicis apud Romanos hoc loco abolenda et post 'Επικλησιον tantum facienda.

geas deprecamur. (*Jungit manus et caput inclinat.*) Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Manu dexterâ percutit sibi pectus, elatâ parum voce dicens :

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus : cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetuâ, Agathâ, Luciâ, Agnete, Cæciliâ, Anastasiâ et omnibus sanctis tuis : intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. (*Jungit manus.*) Per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et præstas nobis.

Per ipsum et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria.

Deinde clarâ voce dicit :

S. Per omnia sæcula sæculorum.

P. Amen.

S. (*jungens manus*) Oremus. Præceptis salutaribus moniti, et divinâ institutione formati, audemus dicere :

Extendit manus.

Pater noster, qui es in cœlis : Sanctificetur nomen tuum : Adveniat regnum tuum : Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terrâ. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie : Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris : Et ne nos inducas in tentationem.

P. Sed libera nos a malo.

S. (*submissâ voce*) Amen.

Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris : et intercedente beatâ et gloriosâ semper Virgine, Dei genitrice Mariâ, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andreâ et omnibus Sanctis (*signat se signo crucis*) da propitius pacem in diebus nostris : ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.

Discooperit Calicem et frangit Hostiam super Calicem per medium, dicens :

Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum.

Partem, quæ in dexterâ est, ponit super patenam. Deinde ex parte, quæ in sinistrâ remansit, frangit particulam, dicens :

Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Particulam super Calice tenens dicit :

P. Per omnia sæcula sæculorum.

P. Amen.

S. Pax Domini sit semper vobiscum.

P. Et cum spiritu tuo.

Particulam ipsam immittit in Calicem, dicens secreta :

Hæc commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.

Inclinatus, junctis manibus, et ter pectus percutiens, dicit :

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Deinde junctis manibus super altare, inclinatus dicit :

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ : eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris : qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, co-operante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti : libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis : et fac me tuis semper inhærerem mandatis, et a te nunquam separari permittas : qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem : sed pro tuâ pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam : qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Genueflexit, surgit et dicit :

Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Accipit hostiam in sinistram, et dexterâ percutiens pectus, elevatâ aliquantulum voce, ter dicit :

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Postea dexterâ se signans cum hostiâ dicit :

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Sumit reverenter dimidiam partem Hostiæ, jungit manus, et quiescit aliquantulum in meditatione S.S. Sacramenti. Deinde dicit :

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi ? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Accipit Calicem manu dexterâ, et cum eo se signans, dicit :

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Sumit tertiam partem S.S. Sanguinis, quo sumpto partem Hostiæ relictam in tot particulas dividit, quot sunt communicantes, easque in Calicem immittit. Deinde cum Patena colligit fragmenta, si quæ sunt super Corporali, extergit digito indice Patenam super Calicem, et postea pollices et indices caute et diligenter super Calice terit, ne fragmentum sacræ speciei adhæreat.

Um, si qui e Populo sunt communicandi, eos communicet cum cochleari continente utramque speciem.

Ad altare reversus Sacerdos sumit sacras species in Calice relictas. Postea dicit :

Quod ore sumpsimus, Domine, purâ mente capiamus : et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Porrigit Calicem ministro (Diacono), qui infundit in eum parum vini, quo Calicem purificet, ne gutta sacra speciei remaneat. Interim dicit :

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhæreat visceribus meis, et præsta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta: qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Sacerdos, parum vini et aquæ addens, ablutionem sumit. Deinde extergit os et Calicem purificatorio, operit calicem, et plicato Corporali, velat calicem eumque in altari collocat ut prius.

Deinde Sacerdos dicit "Communionem," i.e. versiculum Scripturæ sacrae ex ordine temporis aut festi. Postea ad Populum versus dicit :

S. Dominus vobiscum.

P. Et cum spiritu tuo.

S. Oremus.

Deinde Sacerdos dicit "Postcommunionem" (aut Postcommuniones), i.e. Orationem (aut Orationes) ex ordine temporis aut festi. Post ultimam Postcommunionem Sacerdos dicit, ad Populum versus :

S. Dominus vobiscum.

P. Et cum spiritu tuo.

S. (ad Populum versus) Ite missa est.

P. Deo gratias.

Sacerdos se inclinans ante medium altaris, et manibus junctis super illud, dicit :

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ, et præsta: ut sacrificium, quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihi que et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde osculatur altare: et elevatis oculis, extendens, elevans et jungens manus, caputque Crucis inclinans, dicit :

Benedicat vos omnipotens Deus (*deinde versus ad Populum*). Pater et Filius ✠ et Spiritus Sanctus.

P. Amen.

S. (in cornu Evangelii) Dominus vobiscum.

P. Et cum spiritu tuo.

S. Initium sancti Evangelii secundum Joannem. (Signat se signo crucis.)

P. Gloria tibi Domine.

S. In principio erat Verbum (usque ad v. 14) . . . plenum gratiæ et veritatis. (Ad verba Verbum Caro factum est Sacerdos et Populus genuflectunt.)

P. Deo gratias.